

verterunt ad hostes, et locum, quem turpiter amiserant, gloriose in brevi recuperaverunt. Maxima vi certatur utrinque, passimque cadunt cives et hostes.

Bella gerunt [a] omnes, replent clamoribus auras

Et dolor in pugnam cunctos communis agebat;

Nec requies datur ulla viris, furit undique bellum,

Telorumque volant cunctis ex partibus imbres.

Percutit hic illum, ferro praeemittit ad umbras;

In vultus ruit ille suos, validumque cruorem

Ore vomit, stratusque super sua palpitat arma.

Sanguine cunctorum manabant undique [b] campi.

Ut autem viderunt Ravennates se toto expulsos monte quem prius occupaverant, et quod Faventini infatigabiliter eos affligerent, ceu salutem patriae atque propriam in dextris portantes, timore percussi maximo, ut sanctissime placuit majestati [c], ipsi cum suo exercitu, vertuntur in fugam: quos usque in Lanzolas persecuti sunt nostri, eos hostiliter pertrahentes. De parte ergo Ravennatum [d] ceciderunt in die illa Petrus dux de Ravenna, Vitalis Guisus, Vitalis de Orlenda, Gatus Batisatus [e] et alii fere ducenti. Remanserunt autem in vinculis plures quam trecenti. Tristatur multum Romania [f], dolet non modicum Marchia, sed prae omnibus plangit [g] Ravenna, quae plus succubuit, et adhuc gemit in sua damna. Ex Faventinis siquidem octo datisunt letho [h], dominus nempe Albericus et Guido ejus filius [A], Bernardinus de Caminiza, et alii. Quindecim fuerunt capti ab hostibus. Hanc vero victoriam non sibi, sed Domino et suo clavigero cives ascribunt. Ex spoliis hostium [i], quae multa fuerunt, milites Caesenates et montanarios nostros [j] optime remuneraverunt. Post hoc bellum cives et hostes, infra biennium, redierunt ad pacem [k]. Remansit ^{lumen} autem castrum Castellioni, fortasse culpa quorundam. Cessaverunt profecto ab inde Ravennates more solito persequi Faventinos. Nam primo annis fere singulis, ipsi soli devastare consueverant segetes Faventinorum usque Gazum [l] vel Morenum [m] [B] vel in grande Zenzanigo [n].

[a] *Bella gerunt* etc. Carmina haec in Cod. M. continuata oratione exhibentur. Ego vero singula singulis lineis distinguenda putavi. — [b] *manabant undique*. Sic legendum. In C. M., *manebant undique*. — [c] *placuit majestati*. C. M. habet *placuit magestati*. — [d] *De parte ergo Ravennatum*. C. M. habet, pro *de parte*, *de perate*. Pro ergo, Cl. Mitt. legit *igitur*. In C. V., ergo est. — [e] *Gatus Batisatus*. Sic C. M. nomina propria, ne hilum quidem immutanda duco. — [f] *Tristatur multum Romania*. Sic Codd. M. et V. In C. A., perperam *Ravenna*, pro *Romania*, habetur. — [g] *prae omnibus plangit*. In C. M. repetitur *prae omnibus*. — [h] *dati sunt letho*, C. V. In C. M. mendose, *dati sunt lecto*. — [i] *Ex spoliis hostium*. In C. M. *expoliis hostium*. — [j] *Montanarios nostros*. Sic Codd. omnes. Incolas intellige Vallis Hamonis, et accolae reliquos, qui Faventinis parebant. — [k] *redierunt ad pacem*. In C. M., *reddierunt ad pacem*. — [l] *usque Gazum*, C. M.; *usque ad Gazum* C. V. — [m] *vel Morenum*. Sic Codd. — [n] *in grande Zenzanigo*. Sic lego C. M. At Cl. Mitt. legit duplici modo, primo *vi grande*, secundo *rivo grandi Zanzanigo*. Item C. A., *vi grande* etc. In C. V. *il grande Zanzanigo*. An hic enunciat quod vulgo dicitur, *Rio Bonzanino*, qui rivus ultra Cosnam versus Forum Livii reperitur?

[A] Hos duos ex Manfredis aliqui esse putant.

[B] Loca in territorio Faventino.

*bellum part. Mavor
ione B. D. Anker*

*Nec requies d. n. v. = P. Th.
358*

*In vultus - campi
= Pind. Th. 382 - 384*

P. W.

5/